



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallela Geographiae Veteris Et Novae

Parallela Geographica Italiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1649

Nvm. 4. De Cenomanis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13120

firmat Plinius lib. 10. cap. 54. Emittebat quoque hæc regio equos præstantissimos, quos Veneti magnâ curâ alebant, vt ait Strabo lib. 5.

FINES. Olim Tuscos per Galliæ Cisalpinæ partem istam sparfos separabat à Venetis Fl. Athesis *l'Adice*; sed Tuscis per Gallos cicetis factus est limes Venetiæ, & Galliæ Cispadanæ Alueus Citimus Padi vulgò *il Pó d'Argenta*, quare à Propertio Eridanus *Venezus* nuncupatur. Olim etiam ab Histris separati sunt Fl. Timauo: postea Fl. Tilauempto *Taiamento* à Carnis discreti sunt, Carnis in plana deductis. Ad Addam *Addua*, quoque Fluuium olim Veneti pertinuisse perhibentur; postea vltra Veronam non sunt extensi.

N V M. 4. *De Cenomanis.*

NOMEN habent à Cenomanis Gallis, & Liuius Cænomani, Plinio Cenomanni dicuntur: perperam quidam scioli Germanos dictos esse putauerunt, quia in inscriptionibus M. Marcelli spoliiorum vident cum Insubribus iunctos Germanos, sed ignorant illum Cenomanos fuisse socios pop. Ro. vt ex Polybio intelligitur; Sigonius ergo per Germanos putat intelligi Gæfatas, de quibus postea. Antequam duce Elitouio in Italiam transcenderent habitauerunt iuxta Massiliam in Volcis, vt ait Plinius lib. 3. cap. 17. postea confedere vbi Verona & Brixia, vt habet Liuius lib. 5.

FINES Cenomanorum, à Septentrione Euganei; ab Oriente Veneti; à Meridie Padus; ab Occidente Insubres.

N V M. 5. *De Euganeis.*

NOMEN. Dicti videntur quasi *εὐγενεῖς nobiles*, quia ex comitatu Herculis hîc relictî sunt cum Lepontiis, vt innuit Strabo lib. 3. cap. 10.

QUALITAS. Lanæ hinc exquisitæ, quare apud Iuuenalem pro molli sumitur, & *Euganeâ quantumuis mollior agnâ.*

FINES. A Septentrione Alpibus Rhæticiis separantur à Rhætis; ab Occidente Montium ductu qui inter lacus Verbanum & Larium excurrunt, *le lac Majeur, & le lac de Come*, quo à Lepontiis separantur; à Meridie Orobiis & Cenomanis contermini sunt; denique ab Oriente à Rhætis fluuiio Athesi diuiduntur.